

tuta, sed per se degit: raptoris ejus substantia ecclesiae; cujus diaconissa est, adsignetur: ut ex his facultatibus ipsa quidem usumfructum, dum superest, ab eadem ecclesia consequatur; ecclesia vero omnem proprietatem, et plenam possessionem earundem rerum nostro habeat beneficio: nemine vel iudice vel quacunque alia persona haec audente contemnere. Pœnas autem, quas prædiximus (id est, mortis, et honorum amissionis) constituimus non tantum adversus raptores, sed etiam contra eos, qui hos comitati in ipsa invasione et rapina fuerint. Cæteros autem omnes, qui conscii et ministri hujusmodi criminis reperti et convicti fuerint, vel eos susceperint, vel quancunque opem eis tulerint; sive masculi, sive feminae sint; cujuscunque conditionis, vel gradus, vel dignitatis, pœnae capitali tantummodo subijcimus. Ut huic pœnae omnes subiaceant, sive volentibus sive nolentibus sanctimonialibus virginibus, sive aliis supradictis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum. — Dat. 13 kal. decemb. CP. DN. JUSTINIANO P. P. A. 2. CONSS. 533.

55. *Idem*, A.

Ut non liceat parentibus impedire, quominus liberi eorum volentes monachi aut clerici fiant, aut eam ob solam causam exheredare: sed si ipsi testamentum condant, necesse habent quadrantem illis relinquere: sin autem hoc non fecerint, locus sit ab intestato. — § 1. Quod si illi monasteria aut ecclesias relinquunt, atque mandandi fiant, omne ipsorum jus ad monasterium aut ecclesiam pertinet.

56. *Idem*, A. Joanni P. P.

Deo nobis auxilium præbente, omnia quæ pro honore sanctæ ecclesiae catholice ad Dei placitum fieri properamus, legibus constituere, et operibus adimplere desideramus. Et jam quidem multa cum ejus auxilio statuimus, quæ ecclesiasticæ doctrinae atque statui conveniunt: in præsentem vero hoc pia deliberatione duximus corrigendum, quod hactenus contra Dei timorem fiebat. Cognitum etenim nobis est: quod si quis sponsus, vel sponsa, post datas et acceptas arras, voluisset se divino deputare servitio, et a seculari conversatione recedere, ac sanctimoniali vitam vivere, atque in Dei timore permanere; compellebatur vir quidem ea quæ arrarum nomine dederat, amittere; sponsa vero in duplum id quod acceperat reddere: quod nostræ mansuetudini, religioni contrarium esse visum est⁵⁴. Unde per præsentem legem in perpetuum valituram jubemus: ut si quis sponsus vel sponsa [desideraverit seculi istius vitam contemnere, et in sanctimonialium conversatione vivere,] sponsus quidem omnia, quæ arrarum nomine, futuri causa conjugii dedit, sine ulla deminutione recipiat; sponsa autem non duplum (sicut hactenus) sed tantummodo sponso restituat, quod arrarum nomine acceperat, et nihil amplius reddere compellatur, nisi quod probata fuerit accepisse⁵⁵. Nam et maritis et uxoris qui seculo renunciant, jam anteriore lege a nobis provisum est: ut, sive maritus sive uxor religionis causa a conjugio recesserit, et solitariam vitam elegerit, unusquisque eorum res suas recipiat, quas pro dote vel ante nuptias donatione præstiterat, et hoc tantummodo lucri nomine consequatur ab eo qui solitariam vitam elegerit, quod debuit legitime vel ex pacto per casum mortis exigere. — § 1. Hoc etiam cognitum nobis correctione nostra dignum esse judicamus: ut, si quis in parentum potestate constitutus vel constituta, vel forsan hujusmodi iure absolutus vel absoluta, elegerit se monasterio vel clero sociare, et reliquum vite suæ tempus sanctimonialiter degere voluerit, non liceat parentibus eosdem vel eosdem quocunque modo abstrahere, vel propter hanc tantummodo causam quasi ingratum⁵⁶ vel ingratam a sua hereditate vel successione repellere, sed necesse sit eis omnimodo, cum ultimam voluntatem suam sive per scripturam sive alio legitimo modo perficiunt, quartam⁵⁷ quidem portionem secundum leges nostras eis relinquere: sin autem et amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus. Sin vero ultimam voluntatem parentes neque testamento neque alio ultimo elogio declarasse monstrati fuerint: omnem parentum substantiam heredes, quibus ab intestato competat, secundum leges nostras, sibi defendant: nullo eis impedimento ex sanctimonialium conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.

§ 2. Hujus autem perpetuæ nostræ legis beneficia eos volumus obtinere, qui in monasterio vel clericatu perseveraverint. Nam si qui eorum, de quibus præsentem legem posuimus, sanctimoniali vitam elegerint, ad secularem autem conversationem postea remeaverint: jubemus omnes eorum res ad iura ejusdem ecclesiae vel monasterii, a quo recesserint, pertinere⁵⁸. — § 3. His ita dispositis, repetita lege jubemus, ut nullus judæus, vel paganus, vel hæreticus servos christianos⁵⁹ habeat: quod si inventi in tali reatu fuerint; sancimus servos omnibus modis liberos esse,

54. L. 86, § 1, 2. Infr. h. l. — 54. N. 125, c. 39. — 55. L. 55, § ult. supr. h. l. adde N. 22, § 1; N. 117, c. 12. — 56. L. 55, supr. h. l. N. 123, c. 41. — 57. Vide tamen Auth. Novissima,

secundum anteriorem nostrarum legum tenorem. In præsentem autem hoc amplius decernimus: ut si quis ex prædictis judæis, vel paganis, aut hæreticis habuerit servos nondum catholicæ fidei sanctissimis mysteriis imbutos, et prædicti ecclesiae sociati fuerint⁶⁰; in libertatem modis omnibus ex præsentem lege eripiantur; et eos tam iudices provinciarum, quam sacrosanctæ ecclesiae defensores, nec non beatissimi episcopi defendant, nihil pro eorum pretiis penitus accipientibus dominis. Quod si forte posthac etiam ipsi domini eorum ad orthodoxam fidem conversi fuerint, non liceat eis ad servitutum reducere illos, qui eos ad fidem orthodoxam præcesserunt. Sed si quis talia usurpaverit, pœnis gravissimis subjacebit. Hæc igitur omnia, quæ pietatis intuitu nostra sanxit aeternitas, omnes iudices, et religiosissimi antistites, sive Africanæ diocæseos (in qua maxime hujusmodi vitia frequentari cognovimus) sive aliarum provinciarum, graviter et studiosissime observari procurent. Nam contemptores non solum pecuniaria multa, sed etiam capitis supplicio ferientur.

57. *Idem*, A. Joanni P. P.

Præsens lex in alterius legis scripte a nobis referitur mentionem: quam proculdubio, et denuo confirmare cum quadam meliore putavimus opere adjectione, majorem pœnam contra delinquentes profereundo; non quia augmentis delectetur pœnarum, (nihil enim nobis tam gratum est, quam humanitas) sed ut metu pœnae eos, qui ad peccandum proclives sunt, a peccando arceamus. Scimus igitur, nos scripsisse legem⁶¹ dicentem, nullam esse licentiam sanctissimarum ecclesiarum œconomis, aut antistitibus xenonum, aut nosocomiorum, aut ptochiorum, aut monasteriorum sive virorum sive mulierum, aut aliorum talium corporum, quorum præfata constitutio meminit, ea quæ in perpetuum illis relicta sunt, quæ Annulla vocantur leges, secundum aliquod pactum aut auro distrahere certo, aut alienare aliter per quemcunque modum, et posteris adimere id, quod eis obveniret exinde, solatium: et convenientes legi adjecimus rationes: ut quia non amplius propter tale commentum, nec appellatio quidem anni conservetur, nisi per singulos annos contingat præstari, sed semel representatum, postea perfecte pereat. Hanc iterum cum aliqua adjectione renovantes legem sancimus: si quis aut reverendissimorum œconomorum, aut xenodochorum, aut nosocomiorum, aut ptochotrophorum, aut gerontocomiorum, aut brephotrophorum, aut orphanotrophorum, aut archimandritarum, aut aliorum contentorum priorum nostræ divinæ constitutione personarum; id quod in perpetuum relictum est venerabilibus domibus, quibus præsentem, sive in auro, sive in aliis rebus, tentaverit transmutare, ne videatur esse perpetuum, sed transactionibus aut venditionibus, aut quibusdam aliis machinationibus, ut quod perpetuum manere debebat, terminetur, tentaverit, præter vim a nobis nuper profectam in hujusmodi rebus divinæ legis: nullam habere ullo modo licentiam hoc facere: sed et si fecerit; irritum esse quod factum fuerit: et licentiam esse ei, qui post ipsum eandem suscipiet curam, vel etiam eo negligente (ut fieri potest) cæteros deinceps omnes statim revocare id, quod fuerit factum, et ita infirmum declarare, atque si ab initio non processisset: ut et fructus mediæ temporis, et usuras, et omnem utilitatem ad piæ pertinerent omnimodo locum: omnibus quæ medio tempore attentata sunt, quiescentibus. Homini etenim cuique cursus unus est vitæ ab officio datus, cujus finis est omnino mors: venerabilibus vero domibus, et earum cœtibus, indesinenter a Deo custoditis, non est neque secundum earum possessiones inducere aliquam metam: sed quousque utique permanserint venerabiles domus; (manent autem in perpetuum, et usque ad hujus seculi consumptionem, quousque christianorum nomen apud homines erit et coletur) æquum itidem est manere, et in perpetuum relictas erogationes, aut redditus immortales semper piis actionibus nunquam cessaturis servituros. Eum igitur, qui tale quid deliquerit, et transferre rem auro accepto, aut per aliam occasionem presumpserit, damnum quidem nullum induci secundum ea, quæ prædicta sunt) his contra quas talia perpetrarunt, domibus: sed illas quidem domos, et aurum, et⁶² rem lucrari, quam acceperunt; et nihilominus relictum exigere absque ulla quacunque diminutione, tam ab ipso qui hoc egit, quam ab ejus heredibus et successoribus: et illius res, et bona obligari ipsi, qui cum eo contraxit; et ea ipse vindicet, tam contra illius personam, quam bona ipsius, usque ad plenam et competentem ipsi indemnitatem: ne scilicet contra venerabilem domum, quam contra fas fraudavit, ullam speret datorum recuperationem, aut ejus quod factum est instaurationem: quod autem ad ipsum, quo cum contraxit, attinet: omnem habeat a legibus licentiam ingredi contra ipsum, et heredes ejus, et res ejus, et quod datum est, si possit, exigere, ut, si minus ob Dei metum, metu saltem propria ipsorum substantiæ,

Infr. de inoff. test. — 58. Adde d. N. 125, c. 42. — 59. L. 1, l. 2. Infr. ne christian. mancip. — 60. Vide tamen L. 4, § 2, infr. de hæret. — 61. L. 46, § ult. supr. h. l. — 62. Adde N. 7, c. 6.

et suorum heredum tardiores fiant ad hujusmodi pactiones; quas in confesso est eos nullius boni causa celebrare, sed vel pecuniis corruptos, vel affectionibus quibusdam superatos. Quæ omnia per hanc divinam legem prohibentes et ipsam sacris nostris inscribi legibus sancimus, et offerimus ipsi domino universorum Deo et salvatori nostro Jesu Christo, pulchrum quoddam et conveniens ipsi sacrificium et ipsam adducens. — Datum prid. id. septemb. CP. DN. JUSTINIANO P. P. AA. 4 et PAULINO V. C. CONSS. 534.

TIT. IV.

DE EPISCOPALI AUDIENTIA¹; ET DIVERSIS CAPITULIS, QUÆ AD JUS CURAMQUE² ET REVERENTIAM PERTINENT PONTIFICALEM.

1. Imp. VALENTIN. et VALENS AA. ad Julianum comitem Orientis.

Negotiatores, [si] qui ad nostram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere christiani, (quibus verus cultus est adjuvare pauperes; et positos in necessitate) providant [episcopi]. — Dat. 15 kalend. Mart. Constant. VALENTIN. et VALENT. AA. CONSS. 368.

2. *Idem*, AA. ad Claudium P. P.

Si clericus ante definitivam sententiam³, frustratoria dilationis causa ad appellationis auxilium convolverit; multam quinqueviginti librarum⁴ argenti, quam contra hujusmodi appellatores sanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hanc autem non fisco nostro volumus accedere, sed pauperibus fideliter erogari. — Dat. 6 id. Jul. VALENTINIANO NP. et VICTORIO CONSS. 369.

3. Imp. VALENTINIANUS, THEOD. et ARCAD. AAA. Neotherio P. P.

Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostræ perennitatis expectet: exequantur iudices, quod indulgere consuevimus: ubi primus dies paschalis⁵ extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur. Sed ab his decernimus eos, a quibus contaminari potius gaudia lætitiæque communem, si dimittantur, animadvertimus: quis enim sacrilego diebus sanctis indulget? quis adultero, [vel stupri,] incestive reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem [virginis] in summa quiete, et gaudio communi persequatur instantius? nullam accipiat vinculorum requiem, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit: patiatui tormento veneficus, maleficus, adulter, violatorque monete; homicida, [parricidaeque] quod fecit, semper expectet: res etiam majestatis, de domino, adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet. His ergo tali sub adstrictione damnatis, indultum nostræ serenitatis eo præcepti fine concludimus, ut remissionem venie criminis nisi semel⁷ commissi non habeant: nec in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas; qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quam consuetudini, deputaverint. — Dat. kal. Maji. ARCADIO A. et BAUTONE V. C. CONSS. 385.

[Imperator.

Tres⁸ tantummodo prætores electæ opinionis in hac urbe per singulos annos iudicio senatus præcipimus ordinari: qui competentes causas et debitos actus integre disceptare, atque retractare debeant.]

4. Imp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA. Rufino P. P.

Mimæ⁹, et quæ Ludibrio corporis sui quæstum faciunt, publicæ habitu earum virginum, quæ Deo dicantur sunt, non utantur.

5. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Gennadio præfecto Augustali.

Archigerontes, diocetæque ergasiatorum nonnisi christiani dirigantur: quod officium tuum sollicitis observet excubiis. — Dat. non. februar. Constantinop. PP. Alexandria, EUTYCHIO, ARCAD. 4 et HONOR. 3 AA. CONSS. 396.

6. *Idem*, AA. Eutychiano.

Addictos¹⁰ supplicio, et pro criminum immanitate damnatos, nulli clericorum vel monachorum, eorum etiam, quos *synodias* vocant, per vim atque usurpationem vindicare liceat ac tenere. Sed et reos ad locum pœnae sub persecutione pergentes nullus teneat aut defendat. Sed sciat se cognitor triginta librarum auri multa, et primates officii, capitali esse sententia feriendus, nisi usurpatio ista vindicetur. At si tanta clericorum aut monachorum audacia est, ut bellum potius, quam iudicium futurum

Tit. IV. — 1. L. 25, supr. de epis. et cler. — 2. L. 46, supr. d. t. — 3. L. 7, infr. quor. appell. non recip. — 4. L. 5, infr. d. t. — 5. Adde L. 3, D. ad SC. Turpill. — 6. Arg. L. 10, infr. de foris. adde L. 3, in fin. infr. de abolitione. — 7. Arg. L. 28, § 3, D. de penis. — 8. L. 2, infr. de off. prætor. — 9. N. 125, c. ult. — 10. L. 19, infr. de appell. — 11. L. un. infr. de sen-

esse existimetur: ad clementiam nostram commissæ referantur, ut arbitrio nostro mox severior ultio procedat. Ad episcoporum sane culpam (ut cætera) redudabit, si quid forte in ea parte regionis, in qua ipsi populos christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibuimus, a monachis perpetratum esse cognoverint, nec vindicaverint. Quibus in causa criminali, humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponende provocationis copiam non negamus. — Dat. 6 kal. Aug. Mnyzo. HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO CONSS. 398.

7. *Idem*, AA. Eutychiano P. P.

Si qui ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur: sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri, sponte residentis iudicium. Quod his obesse non poterit, nec debet quod ad prædicti cognitoris-examen conventos, potius abuisse quam sponte venisse constiterit. — Dat. 6 kalend. August. Mediolani, HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO CONSS. 398.

8. Imp. ARCAD. et THEOD. AAA. Theodoro P. P.

Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint: eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, a quibus non licet¹¹ provocare. Per iudicium quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur. — Dat. ibid. decembr. Basso et PHILIPPO CONSS. 408.

In AUTHENT. de sanct. Episc. § si quis autem litigantium, col. 9, tit. 6, al. tit. ult., seu Novell. 123, cap. 21.

Si quis litigantium intra decem dies contradicat his, quæ iudicata sunt: tunc locorum iudex examinet causam: et si invenerit iudicium recte factum, etiam per sententiam suam propriam hoc confirmet, et executioni propriæ tradat, quæ iudicata sunt: et non liceat victo iterum in tali causa appellare. Si vero sententia iudicis contraria fuerit; tunc licet a sententia iudicis appellare. Si tamen ex imperiali iussione, aut judiciali præcepto episcopus iudicat inter transmissit personas, appellatio aut ad principem, aut ad eum, qui transmissit negotium, transferatur.

9. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Cæciliano P. P.

Iudices dominicis diebus productos reos de custodia carcerali videant, et interrogent, ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur¹²: victualem substantiam non habentibus faciant ministrari libellis duobus, aut tribus diurnis, vel quot existimaverint commentariensis, decretis; quorum sumptibus proficiant alimonie pauperum; quos ad lavacrum sub fida custodia duci oportet: multa iudicibus viginti librarum auri, et officii eorum ejusdem ponderis constituta, ordinibus quoque trium librarum auri multa proposita, si saluberrima statuta contempserint. Nec deest antistitum christianæ religionis cura laudabilis, quæ ad observationem constituti iudicis hanc ingerat monitionem. — Dat. 7 idus februar. Ravenne, HONORIO 8 et THEODOSIO 3 AA. CONSS.

10. *Idem*, AA. Cæciliano P. P.

Mathematicos¹³, nisi parati sint, codicibus erroris proprii sub oculis episcoporum incendio concrematis¹⁴ catholicæ religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem primum redituri; non solum urbe Roma, sed etiam omnibus civitatibus depelli decernimus. Quod si hoc non fecerint, et contra clementiam nostram salubre constitutum in civitatibus fuerint comprehensi, vel secreta erroris sui et professionis insinuerint, deportationis pœnam excipiant. — Dat. kalend. februar. Raven. HONOR. 8 et THEODOSIO 3 AA. CONSS. 409.

11. *Idem*, AA. Theodoro P. P.

Christianos¹⁵ proximorum locorum sollicitudinem gerere, ut Romanos [captivos,] qui reversi fuerint, nemo teneat, nemo injuriis aut damnis afficiat. — Dat. 3 idus decemb. HONORIO 8 et THEODOSIO 3 AA. CONSS. 409.

12. Imp. THEOD. et VALENT. Florentio P. P.

Si lenones¹⁶ patres et domini suis filiabus vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint; liceat filiabus et ancillis, et episcoporum implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolvi. — Dat. kal. Maji, FELICE et TAURO CONSS. 428.

ten. præf. p. m. t. L. 19, infr. de appell. — 12. Adde L. 1, infr. de custodia reor. — 13. Lib. 9, tit. 18, infr. de malef. et mathem. — 14. Sic L. 6, infr. de hæret. — 15. L. 20, infr. de post. lim. — 16. L. 24, L. 33, infr. h. t. l. ult. infr. de nuptiis; L. 6, infr. de spectat.; L. 7, infr. de postlim.

15. Imp. MARCIANUS A. Constantino P. P.

Decernimus, ut quicunque catholicarum ecclesiarum, quæ sub viro religioso archiepiscopo hujus¹⁷ almæ urbis, sunt, reverendissimum oronum, (sive de ecclesiasticis, sive de propriis, et ad ipsum solum pertinentibus causis) vel quemcunque alterum earumdem ecclesiarum clericum aliqua voluerit lite pulsare: apud memoratum¹⁸ beatissimum archiepiscopum causam dicat, in negotiis audiendis fidem ac sinceritatem geminam præbiturum, et sacerdotis, et iudicis: volentibus²⁰ tamen actoribus pateat episcopale iudicium: ac nullus, qui hujusmodi intendit in sacrosanctas ecclesias, vel in prædictos clericos actionem, ad religiosissimum antistitem ducatur invitus. — Dat. 8 aprilis VARARI et JOANNE CONSS. 456.

14. Imp. LEO ad populum.

Neque servum²¹, neque liberum corpus, sit, qui deat in meretriciam vitam producere, aut prostare: sive thymelicus fuerit, sive alio pacto scenica persona: ac, si mancipium sit, quod præstat, in libertatem vindicetur a quocunque sine ullis sumptibus apud ejus oppidi magistratum aut episcopum. — § 1. Quibus curæ erit, ne etiam invitam mulierem liberam, aut ancillam conjungi patiantur mimis aut choris, aut aliud spectaculum in theatro²² agere invitam.

15. Imp. LEO et ANTHEMUS AA. Nicostrato P. P.

Nemo²³ vel in foro magnitudinis tuæ, vel in provinciali iudicio, vel apud quemquam judicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis²⁴ catholicæ religionis fuerit imbutus mysteriis. Sin autem aliquid, quoquo modo, vel quadam etiam machinatione factum, vel attentatum fuerit: officium quidem sublimitatis tuæ centum librarum auri iacturam pro condemnatione sustineat. Idem vero; quicunque ausus fuerit, contra providam nostræ serenitatis decretum, officium advocacionis per surreptionem arripere, et prohibuit patrocinium præsterit, ab advocacionis officio remotus, stylum proscriptiois ac perpetui exilii specialiter sustinebit: scituris etiam provinciarum rectoribus, quod is, sub ejus administratione aliquid hujusmodi fuerit attentatum, partis bonorum dimidiâ proscriptioem, et poenam exilii per quinquennium sustinebit. — Dat. pridie kal. Aug. CONSTANTINO. ANTHEMO A. 2 CONSS. 468.

16. Idem, AA. Erythrio P. P.

Si legibus²⁵ prohibita non sint sperata nuptiæ, et post arras sponsalitates sponsa conjugum sponsi propter religionis²⁶ diversitatem recuaserit, si quidem probatum fuerit, ante datas easdem sponsalitates arras, hoc idem mulierem vel parentes ejus cognovisse, sibi debeant imputare: si vero horum ignari, sponsalitates arras susceperint, vel post datas arras talis causa poenitentia intercesserit, iidem tantummodo redditus, super alterius simpli poena liberi custodiantur. Quod simili modo etiam desponsis super recipiendis, nec non arras præstitis, custodiri censemus. — Dat. kal. Jul. MARTIANO et ZENONE CONSS. 469.

17.

Electio episcopi et primorum civium Sitone fiant ex militaribus ordinibus, aut ex veteranis, aut ex tyronibus, sive militaribus: qui id transgressus fuerit, triginta libris multetur.

18.

Milites qui præsent, et in custodia consistunt, in suis (ut vocant) sedetis sive stationibus, species ad se pertinentes, ex civitatibus, aut ex ejus regionis agricolis ad suas annonas arbitratu episcopi, aut magistratus, aut defensoris, si desit magistratus, accipiant. Neque cogatur collator numeratam pecuniam præstare.

19. Imp. ANASTASIUS A. Eustachio P. P.

Jubemus eos tantummodo ad defensorum²⁷ curam peragendam ordinari, qui sacrosanctis orthodoxæ²⁸ religionis imbuti mysteriis, hæc in primis sub gestorum testificatione, præsentem quoque religiosissimum fidei orthodoxæ antistitem, per depositiones cum sacramenti religione celebrandas patefecerint. Ita enim eos præcipimus ordinari, ut reverendissimum episcoporum, nec non clericorum et honoratorum, ac possessorum, et curialium decreto constituantur. — Dat. 13 kal. Maji, SABINIANO et THEODORO CONSS. 505.

IN AUTHENT. de defens. civ., § interim, coll. 5, tit. 2, seu Novell. 45, cap. 1.

Præsides gentium per unamquamque civitatem præparent homines non vilissimos, sed nobiliores civitatum habitatores, quibus aliqua ra-

^{17.} Adde L. 25, supr. de episc. — ^{18.} L. 55, § 5, supr. d. l. — ^{19.} Atreg. L. 29, in pr. infr. h. l. — ^{20.} L. 25, supr. de episc. vide tamen Auth. Clericus, supr. eod. — ^{21.} L. 12, supr. h. l. — ^{22.} L. 35, infr. eod. — ^{23.} L. ult. infr. de postul. — ^{24.} Adde N. 109, pr.; L. 5, supr.; L. 19, L. 26, infr. h. l. L. 18, infr. de heret.; L. 9, infr. de div. off.; N. 144, c. 2. — ^{25.} Adde L. 8, infr. de sponsal. — ^{26.} Adde L. 6, infr. de Judic.; N. Leon. 95. — ^{27.} L. 8, infr. de de-

tio est bonæ opinionis constituta, nominare defensores per circulum: ut, eo expleto, rursus ad eandem sollicitudinem revertantur: decreto facto cum jurejurando omnium possessorum in ea civitate consistentium: electione faciendâ a Deo amabili episcopo, et venerabili clero, et aliis in civitate bonæ opinionis studentibus. Et nulli liceat defensoris ordinationem declinare: alioquin quinque librarum auri poena coerebitur, quæ in opera²⁹ civitatis impendetur: et post poenæ solutionem nihilominus defensoris officium suscipere cogetur, et jurabit, omnia secundum leges³⁰ et jus agere. Et confirmabitur ex præcepto gloriosissimorum prefectorum nostrorum. Et in biennio solo administrabit. Et iudex potius, quam defensor esse videbitur: ut etiam testamenta et donationes apud hunc insinuentur, et acta apud eum componantur. Et habeat unum exceptorem, et duos officiales ex provinciali officio. Et judicet in causis pecuniariis usque ad trecentos aureos. Præterea habeat defensor publicam habitationem, in qua monumenta recondat, et unum hominem, qui acta conservet.

Nova constitutio FRIDERICI imperatoris, de statu, et consuet. contra libert. eccl., § statuimus etiam, coll. 10, constit. fin.

Statuimus hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, consules, sive rectores, quibuscunque fungantur officiis, pro defensione fidei præsent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus suis extermiare studebunt: Ita ut amodo quocunque quis fuerit in potestate seu perpetuo, seu temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum firmare juramento: alioquin neque pro potestatibus, neque pro consulis, neque pro rectoribus habeantur, eorumque sententias ex tunc irritas judicamus et inanes.

20.

Nemo militem³¹, qui non apud acta testificatus cum tribus sit, propositis sacrosanctis Evangelis esse christianum orthodoxum: fiantque acta ad eum magistratum, sub quo militaturus est: et duo tantum aurei pro ea re præbeantur. Si vero id neglectum sit, dabit libras quinqueaginta is magistratus, ejusque officium viginti qui vero militavit, decem atque a militia ejicietur: testes, qui pejeraverint, in corpus punientur: illæ vero multe comitis periculo rebus privatis inferentur.

21. Imp. JUSTINIANUS A. Menæ P. P.

Si præsens³² quidem sit, qui pecuniam numerasse, vel alias res dedisse scriptus est; aliquam vero administrationem in provinciis gerat, ut difficile esse videatur, denuntiationem eidem non numeratæ pecuniæ mittere, licentiam damus ei, qui memorata exceptione uti velit, alios iudices adire, et per eos ei manifestare, quia exceptionem hujusmodi objicit, factam a se super non numeratæ pecuniæ querelam esse. Quod si non sit alius administrator civilis, vel militaris, vel per aliquam causam ei sit difficile, noratam querelam opponit, eum adire, et ea quæ dicta sunt, accere: licentiam damus etiam per virum reverendissimum episcopum eandem suam exceptionem creditori manifestare, et ita tempus statutum interrompere. — § 1. Quod etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere, receptum est. — Dat. kal. Jul. CONSTANTINO. DN. JUSTINIANO A. 2 CONSS. 528.

22. Imp. JUSTIN. A. Menæ P. P.

Neminem volumus in custodiam conjici absque jussu³³ gloriosissimum, vel illustrium, vel clarissimorum magistratum hujus felicissimæ urbis, vel provinciarum, aut defensorum civitatum. — § 1. De his autem, quicunque conjecti, aut conjiciendi sunt, Deo amabilem locorum episcopos jubemus per unam ejusque hebdomadæ diem, id est, feria quarta, aut sexta, quæ et Parasceve appellatur, eos, qui in custodia habentur, visitare: et diligenter inquirere causam, ob quam detinentur: et sive servi sint, sive liberi, sive pro pecuniis, sive pro aliis criminationibus, sive pro homicidiis conjecti, illustrissimos, et spectabiles, et clarissimos magistratus admonere; tam eos qui sunt in hac felicissima urbe, quam qui sunt in provinciis, ut ea exequantur circa ipsos, quæ divalis nostra constitutio ad illustres prefatos ea de re emissa præcipit: licentia data Deo charissimis pro tempore episcopis, si quam negligentiam admissam cognoverint ab illustrissimis, et magnificenissimis atque clarissimis pro tempore magistratibus, vel iis, quæ illis parent officiis talem ipsorum negligentiam indicandi, ut conveniens adversus negligentes animi nostri motus insurgat. — Dat. 15 kal. febr. CP. DEZIO CONSS. 529.

23. Idem, A. Menæ P. P.

Privatos³⁴ carceres modis omnibus in urbis atque in vicis constitui fens, civ. — 28. L. 15, supr. h. l. — 29. L. 26, infr. eod. — 30. Adde princ. Inst. de offi. jud. non numer. pecun. — 31. N. 109, in pr.; L. 9, infr. de div. off. — 32. L. 14, § 4, infr. de immo vide L. 25, D. ad leg. Jul. de adul.

vetamus: ipsis, qui custodiuntur, Dei amicissimum loci episcoporum providentia a detentione remissis. — Dat. 12 kalend. febr. CP. DEZIO COS. 529.

24. Idem, A. Demostheni P. P.

Nemini³⁵ licere volumus, sive ab ingenuis genitoribus puer parvulus procreatus, sive a libertina progenie, sive servili conditione maculatus, expositus sit, cum puerum in suum dominum vindicare, sive nomine domini, sive adscriptitiæ, sive colonariæ conditionis. Sed neque his, qui eos nutriendos sustulerint, licentiam concedimus penitus cum quadam distinctione eos tollere: sed nullo discrimine habito, hi, qui ab hujusmodi hominibus educati, vel nutriti, vel aucti sunt, liberi et ingenui appareant, et sibi acquirant: et in posteritatem suam, vel extraneos heredes omnia, quæ habuerint, quo modo voluerint, transmittant. Hæc observantibus non solum presidibus provinciarum, sed etiam viris religiosissimis episcopis. — Dat. Chalcedone 8 kalend. Jul. LAMPADIO et ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

25. Idem, A. Demostheni P. P.

Quæ de alea³⁶ sive (ut vocant) cotts, ac de eorum prohibitione a nobis sancita sunt, ea liceat Dei amicissimis episcopis, et perscrutari, et cohibere, si fiant, et flagitiosos per clarissimos presides provinciarum, et patres defensoresque civitatum ad modestiam reducere. — Dat. 10 kal. octob. CP. DEZIO COS. 529.

26. Idem, A. Juliano P. P.

De his, quæ singulis annis ad civitates pertinent (sive civiles redditus sint, sive fructus, ex publicis, aut privatis pecuniis, quæ ab aliquibus eis, aut relinquuntur, aut donantur, aut alio pacto excogitantur, aut instituuntur, sive ad opera, sive ad rem frumentariam, sive ad publicos aqueductus, sive ad balnearum calefactionem, sive ad portus, sive ad murorum, aut turrium edificationem, sive ad pontium atque viarum refectionem, sive ad publicas denique causas pertineant; tam ex publicis, quam ex privatis, ut dictum est, causis) sancimus; ut in unum conveniant religiosissimus episcopus, ac tres bonæ existimationis, et qui cæteris præstant in ea civitate, ac singulis annis inspiciant opera facta; et curent, ut et metiantur, et rationem conficiant, qui ea administrant, aut qui administraverunt, et in monumentorum gestione ostendant impletionem operum, aut administrationem sintonicarum, et balneariarum pecuniarum, sive quæ in viis muniendis, aut aqueductibus, aut aliis rebus consumuntur. Quæ omnia nunquam omnino minui volumus. In monumentorum vero gestione appareat; si sine solutus, an obligatus, qui ea administraverit; et an, quod debuit, solverit: atque ita erit cautum ei, qui eam curam suscepit. Mittimus enim nos, cum placerit, quem commodum erit, ut inspiciat rationes ab eis factas: et cum recte factas esse repererit, calculum feret, quo ipsis hereditibusque, et successoribus consulatur: neque aliarum rationum, aut controversiarum occasio relinquatur. Omnia vero, propositis sanctis Evangelis, diligenter fiant: nam inquisitionem nos cum libuerit fieri jubebimus. Oportet itaque studere religiosissimum episcopum, et qui cum eo rationes conficiunt, ut opera in ingentes sumptus præscripta, singulis annis diligenter fiant ex publicis fructibus atque redditibus reparanda. Sin autem noluerit rationibus subesse, qui ea administrat, neque ferat sanctissimum ejus loci episcopum, et illos possessores, qui ad eam rem constituuntur, et qui ad rationes reddendas cum vocant: cogatur id agere per clarissimum provincie presidem, et cohortem, quæ ei parere solet: ac sine ullo damno compellatur, ut modis omnibus rationes submittat religiosissimo episcopo, et primis illius civitatis: quodque appareat ab eo deberi, civitati reddatur. — § 1. Omnem vero libertatem tollimus nostris presidibus mittendi in agros discussores, aut ratiocinatores, aut exaquiretos ad publicarum rationum executionem. Sed si quid hujusmodi nobis ignorantiis fiet, si quidem sacra forma ad aliquos per subreptionem emanaverit, liceat religiosissimo episcopo ejus civitatis suscipere quidem sacram formam, renunciare tamen nobis ut nos cognoscamus, an ex nostra ad illum presidem jussione, an per obreptionem facta sit: ut si per subreptionem facta esse videatur, quod factum sit inutile fiat, et periculum subeat, qui eam quaesivit. Si vero ab aliquo de nostris prefatis emissum decretum, aut commonitorium sit, aut præceptum aliquod, aut rationum scriptura; et de aliquo ex prædictis capite permittatur; volumus ut modis omnibus non ejus urbis episcopus, et primi civitatum illis rebus præficiantur, sed liceat provincie præsi, et ipsis possessoris, ac civibus jussiones rejicere: ac ne obolum quidem ea de causa præstare. Si vero in ea re sanctissimus episcopus negligens fuerit; habebit et dominum Deum nostrum infensum, et imperialem

^{35.} L. 2, L. 5, infr. de infant. expos. — ^{36.} L. ult. § 1 et 3, infr. h. l. N. 125, c. 10; N. Leon. 87. — ^{37.} N. 105, c. 1. — ^{38.} Adde L. un. infr. publico iudic. — ^{39.} N. 17, c. 4; L. ult. vers. præses, infr. de discussor. — ^{40.} L. ult. vers. provident autem. — ^{41.} L. 15, D. qui

vindicatam expectabit, si ea servili silentio, sacerdotalique licentia indigno, præterierit.

§ 2. Si quis autem in provincia renunciaverit magistratum, aut consulam processionem³⁷, sive generales formas gloriosissimorum prefectorum, aut alicujus alterius e nostris magistratibus, sive constitutionem, sive sacrum commonitorium, sive generales literas, sive erectionem imperialium statuarum indicaverit: non liceat amplius sex nummis aureis in singulas nunciaciones, aut in singulas formas, aut constitutiones, aut sacra commonitoria, aut generales literas, aut statuarum erectiones accipere in singulis provinciis, ad quas literas accepit: ac, licet multæ sint in ea provincia urbes, nihil amplius præstetur, quam illi sex nummi. Si quid vero amplius acceperit, ejus quadruplum restituet: liceatque ejus urbis episcopo hoc prohibere. Eadem tamen poena decem librarum auri, et provincie præsi, et ei subdito officio, et episcopo imponitur, si illis permittant plus petere, neque id modis omnibus prohibuerint. — § 5. Nemini enim omnino permittimus nostrorum magistratum hujusmodi formas³⁹ circa provincias emittere de rivorum, aut de cloacarum purgatione, aut de amolitione ædificiorum a muris, aut stationum a portibus, aut eorum, quæ produlia appellantur, aut de rudum ac dimidiatarum columnarum eversione, aut de imaginibus, aut si quid alio pacto sit excogitatum, aut etiam de civilibus quibuscunque controversiis. Sed liceat episcopo, et iis, qui primi sunt ejus urbis, et presidibus provinciarum, et possessoribus ac civibus insinuata aliqua forma, ei quidem non deferre, sed prohibere, ac coercere omnem exactioem, omnemque vim, quæ ex eo eveniat. Eademque poena afficiat sanctissimos episcopos, nisi illi prohibuerint. — § 4. Sed et oportet episcopum, ac patrem civitatis, et ceteros bonæ opinionis possessores providere, ne locus aliquis civilis, aut publicus iuxta⁴⁰ muros urbis, aut in publicis portibus aut in plateis, aut in quocunque alio loco ab aliquo indebite possideatur, neve publicus locus alicui sine nostra sacra forma tradatur. — § 5. Idem inquirant de aquarum distributione, quæ sacra aliqua forma cuique pertinet: ut ne hic plus, ille minus habeat, quam ei competit. — § 6. Neque vero fidejussionis causa, aut supra mandati formam nostros subiectos affici pateremur, sed si quidem immobiles⁴¹ res habeant idoneas, jusjurandum tantum præsent, et conscribatur: sin autem non habeant, usque ad quantitatis aestimationem, fidejussionem sine ullo damno præbeant. Si vero dubitaverint exactores de fidejussorum fide, facultatibus aut cautione: in eundem locum religiosissimus episcopus, et patres civitatis, ac defensor conveniant, ac decernant, an idoneus esse fidejussor videatur usque ad quantitatem, de qua agitur, et necesse habeat exactor suscipere eum in fidejussorem, qui nihil pro fidejussione, aut sacramento præstabit, præterquam si privata nostra, aut cujusquam magistratus majoris jussione personam ducendam esse, fidejussori non esse credendum decernatur: tunc enim licebit exactori fidejussorem non accipere, id vero agere sine ullo detrimento. Cæterum eadem multa adversus religiosissimum episcopum, et clarissimum provincie presidem imponitur, si quid eorum transgredi passi fuerint, aut si cum transgressum erit non id statim renuntiaverint.

§ 7. Neque etiam patiantur, ut plus definita parte a nostra constitutione pro sportulis accipiatur; neve descriptio ob aliquam causam in civitatibus fiat: nisi ob illas tantum, quæ supra⁴² enumeravimus, renuntiationes processionum, constitutionum, sacri et generalis commonitorii, aut formæ, aut litterarum, et hujusmodi omnium rerum, de quibus antea sanximus: item quæ propter suam conservationem, et quæ salutem civis facere voluerint ad opera forte publica, vel ad sitionam, vel ad aliam quamvis causam, quæ omnibus placeat propter urbis honorem fieri, ex quo respública adjuvetur: contra eos vero qui hæc transgredi tentaverint, et si ad nos religiosissimi episcopi id non retulerint, ea serventur, quæ antea a nobis commonita sunt. — § 8. Atque oportet singularum urbium Dei amantissimos episcopos, cum omnia cognoverint, quæ a nobis de his rebus disposita sunt, et de metarum exactioem, et de rapinarum prohibitionem, ac de ceteris rebus quæ nostra sacra constitutione continentur, quæ de omnibus edita est, finem competentem imponant. — Dat. 8 kalend. Jul. CHALCED. LAMPADIO. CONSS. 530.

27. August. Juliano P. P.

De creationibus curatorum, qui furiosis utriusque sexus dantur, necessarium nobis visum est constituere, quemadmodum eas celebrari oporteat. Et⁴³ si quidem pater curatorem furioso vel furiosæ in ultimo elogio hæredibus instituit, vel exhereditatis dederit, ubi et fidejussionem cessare necesse est paterno testimonio⁴⁴ pro ejus satisfactione sufficiente, ipse, qui datus est, ad curatorem perveniat: ita tamen ut in provinciis apud

satisd. cog. — ^{42.} § 3, supr. h. l. — ^{43.} L. 7, § 5, infr. de curat. furios. — ^{44.} Princ. Inst. de satisd. tut.; arg. d. L. 7, princ.